Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36520
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Ignibus et medius securos texit alumnos.
Semper in auxilium sermo patris omnipotentis.
Descendit servando homini. mortalia semper
Admiscenda sibi proprio curavit amore.
Ut socianda caro. domnoque implenda perhenni
Degenerem vitam. quam tunc animalis agebat
Exemplo mutaret heri. similesque partus
Cernere consortem terreni assuesceret oris.
Participemque suum visu velut obside nosse.
Et consanguineo paulatim accedere Christo.
Ergo animalis homo quondam. nunc spiritus illum
Transtulit ad superi naturam seminis. ipsum
Infundendo deum. mortalia vivificantem.
Nunc nova materies solidata intercute flatu.
Materies sed nostra tamen de virgine tracta
Exuit antiquae corrupta exordia vitae.
Inmortale bonum proprio spiramine sumens
Filius ille hominis. sed filius ille tonantis.
Iam solus vultum patris aspicit. et videt ipsum.
Nemo patrem novit nisi filius. et cui monstrat
Filius. et noster mediator et omnipotentis.
Denique concludam brevius ut compendia summe
Non pater in carnem descendit. sed patris arcem
Sumpta caro ascendit. natus per utrumque cucurrit.

Contra unionitas.

Cede profanator Christi. iam cede Sabelli.
Depositorque patris. natique insane negator.
Nonne patrem violas. natum dum scire recusas.
Quandoquidem non est genitor nisi filius extet.
Nec vocitare patrem potis es. quem germine fraudas.
Sed fortasse velis patriae pietatis honore
Despoliare deum. contentus nomine nudo

Quod deus est adimasque decus patris et generis vim.
Et quis in ydolio recubans inter sacra mille.
Ridiculosque deos venerans sale cespite thure.
Non putat esse deum summum et super omnia solum.
Quamvis Saturnis Iunonibus et Cythereis.
Portentisque aliis fumantes consecret aras.
At tamen in caelum quotiens suspexit in uno
Constituit ius omne deo. cui serviat ingens
Virtutum ratio. variis instructa ministris.
Quae gens tam stolida est animi. tam barbara linguis.
Quaeve superstitio tam sordida. quae caniformem
Latrantemque throno caeli proponat Anubem.
Nemo cloacinae aut Eponae super astra deabus
Dat solium. quamvis olidam persolvat acerram.
Sacrilegisque molam manibus timentem. et exta
Consule barbati de litteratura Platonis.
Consule et hyrcosos Cinicos. quos somniat et quos
Texit Aristoteles. torta vertigine nervos.
Hos omnes quamvis anceps laborinthus et error
Circumflexus agat. quamvis permittere ipsi
Gallinam soleant. aut gallum clinicus ut se
Dignetur prestare deus. morientibus equum.
Convertunt tamen ad normam rationis et artis
Turbidulos sensus. et litigiosa fragosis
Argumenta modis concludunt numen in unum.
Cuius ad arbitrium spera mobilis atque rotunda
Volvatur. serventque suos vaga sydera cursus.
Non recipit natura hominis. nisi quadrupes ille
Non sit. et erecto spectet caelestia vultu.
Non recipit. neget ut regimen pollere supremum.
Istud et ipse Numae tacitus sibi sensit aruspex.
Semifer et Cothus sentit cane milite peior.